



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 43. Angli ad Padum Forminiacum prælio devicti

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

que pluribus Principibus ac Nobilibus ^{Sæcul. XV.} stipatus, ferme ducentos quadraginta lancearios, & octingentos Ballistarios adduxit. ^{AC 1450.} Connestabilis vix conspecto Anglorum exercitu, illico suos in ordines ac stationes distribuit prælio paratos. Angli haud expectata hac rerum facie tanto perculsi sunt terrore, ut Robertus Veeres cum suorum millibus Cadomum, & Bajocas aufugeret, ipse quoque Kyrielus jam in eo esset, ut fuga sibi consuleret, opportunitate præfati rivuli, ac cujusdam pagi eidem incumbentis usus: sed accurrente quadam Ballistariorum cohorte, quam Connestabilis ex equis descendere jussit, primum Anglorum cornu initio certamine funditur, plurimis eorum qua cæsis qua captis.

§. XLIII.

Angli ad pagum Forminiacum prælio devicti.

Finito certaminis præludio Connestabilis junctis Claromontii copiis fortior evasit, & Brezæus tanto furore alterum hostis cornu impetiit, ut maxima Anglorum parte Victorum gladiis jugulata, duo illa tormenta non ita pridem occupata recuperaret. Angli sinistro fato nimium perterriti, Forminiacum ad sua castra satis munita fugere compulsi sunt, pugnae decre-

Sæcul. XV. decretoriæ discrimen declinaturi. Verum
A. C. 1450. Connestabilis comperto Anglorum recessu, rivum trajicere tentat, pontem ab Anglis occupatum aggreditur, omnique ex parte hostibus instat, ac vi ad fluvium retroactis, tandem post trium horarum certamen fugam infert, & promiscuam cladem. Francorum exercitus vix ad tria millia & quingentos armatos ascenderat, Anglis ultra septem millia numerantibus. Joannes Chartierus narrat, cecidisse Anglorum tria millia septingentos septuaginta quatuor, quorum corpora in quatuordecim prægrandibus fossis humata fuere; Capti vero Victoribus cesserunt mille quadringenti, quos inter potissimi erant Kyrielus, Henricus Norberius, Thomas Druic Kyrkebius, Christophorus Auberchonus, Joannes Arpelles, Paschierus Gobert, Canevilla & plures alii. E Francis nonnisi octo desiderati dicuntur.

*Joan. Chart.
 in Hist. Char.
 VII. p. 197.
 & 198.*

§. XLIV.

Angli tota Normannia pulsi.

Carolus VII, qui in inferiori Normannia agebat, parta hac victoria, ceteras urbes, quæ adhucdum Anglis parebant, occupare, omnesque hujus Nationis Viros Regno penitus pellere, facili negotio potuit. Connestabilis quidem Viriam cinxit,